AVGVSTINI GOTTVCII GENVENSIS,

PHILOSOPHI, AC MEDICI,

DE
Differentiis, ac Cauſis Morborum Compendium,

AD
ILLVSTRISSIMVM, ET
REVERENDISSIMVM ALEXANDRVM SFORTIAM, TT. SANCTAE MARIAE IN VIA PRESBYT: CARDINALEM, BONONIAE, FLAMINIAE, EXARCHATVSQ. RAVENNAE DE LATERE LEGATVM, ET PRO ROMANA ECCLESIA IN SPIRITVALIBVS, AC TEMPORALIBVS VICARIVM GENERALEM.

BONONIAE,
Typis Alexandri Benaccii.
MDLXX.

Ex licentia Superiorum.

ALEXANDRO SFORTIAE CARDINALI,
BONONIAE, FLAMINIAEQ. LEGATO
AVGVSTINVS GOTTVCIVS
GENVENSIS. S. P. D.

CVM moris ſemper fuerit ALEXANDER *illuſtriſſime, Cardinalis ampliſſime, Legate digniſſime, iuriſdictioni alterius ſubiectos, argumētū aliquod, uel imaginem pietatis erga Principem ſuæ, ipſi quaſi omnium parenti, modo aliquo præſtare, uel muneribus eum colendo, uel quid aliud piè efficiendo: Cupientes nos ardentiſſimo erga te animo noſtro, aliqua ex parte ſatisfacere, operæ pretium duximus ea tibi humiliter offerre, quæ delectare, & ſimul prodeſſe aliquo pacto poſſe uiderentur. Cum igitur ex præclaris animi tui dotibus, antiquo, perilluſtriq; genere tuo, ſemper cùm legibus, tum armis tot populos, totq; exercitus (ut tot teſtantur hiſtoriæ) tam ſapienter, tam fortiter moderari ſolito: Communiq; omnium de te hodierna uoce, quòd uerè ſis ad regendos populos natus, natura priùs, quàm arte, induſtria, ingenio, ſtudio, labore, uigilijs, ut auitæ, paternæq; rei, ſic etiam uirtutis hæres creatus, & factus: Quòd te ſatis adhuc iuuene, experientia tamen, ſapientia, prudentia, iudicio, conſilio ſene, in tanta ubiq; locorum annonæ caritate, & inopia, ut iam iam famē moreremur, media hyeme, frigoribus, imbribus, medijsq; niuibus peraltis, quotidie nos undiq; ſæpius ſepelientibus, nec quicquàm auxilij ad uictum à terra, uel aliunde nobis petere concedentibus, in has prouincias adminiſtrandas cœlitus, diuinitus miſſo, annonæ caritas, quaſi ad inſtar*

undarum magis in dies fluctuans, & naufragium irreparabile minitans, tuo quidem ingenio, exquiſita diligentia, et ope, tanquā ſcopulis illiſa, contra temporum miſerorum naturam quieuerit, & interrupto nimis eius audaci curſu, firmiter intra ſuos fines ad nouas usq; meſſes conſtiterit: ex inopia uerò, admirantibus omnibus, tantum abundantiæ ſubitò prouenerit, ut nedū aliquid ex nihilo, uerùm etiam multum, te duce, factum protinus extiterit: Quòd nullo prorſus habito perſonarum diſcrimine, unicuiq; id, quod ſuum eſt, æquiſſima quidem bilance ita ponderes, ita ſententia decernas, ita exequendo tribuas, ut Aſtræa ipſa, iuſtitiæ, ut aiunt, Dea eſſe uidearis: et alter Alexander Magnus, totius orbis terrarum imperio dignus iam eſſe dicaris: Quòd populo Bononienſi perpetuam quidem annonæ copiam, & ubertatem, ad æternā tui memoriam, ſis comparaturus, lege iā promulgata, quòd annona tota in urbem portetur, tota denuntietur, ac reueletur, exitus extra iuriſdictionem nemini, ingreſſus omnibus liberè cōcedatur, nō alibi, quàm publico loco frugibus antiquitus dicato uēdatur, nec ematur: O' legē ſanctiſſimā, & æquiſſimā, quæ nullo quidē modo, neque id, quod propria tellus proprio populo, ueluti filio nutriendo produxit, & acceptum antea, maximo cum fænore poſtea reddidit, aſportari: neq; id, quod ipſa rerum omnium mater palàm, & manifeſtè ex utero ſuo in lucem, ueluti partum edidit, occultari patiaris: O' legem inſuper capitali pœna digniſſimā: cum auferens annonam, uel occultans, alimentum quidem denegare, denegans uerò alimentum necare præſumatur, necantem autē capite multare iure ſanciatur: hac enim lege, cū Bononienſis ager ſit ſuapte natura fertiliſſimus, proculdubio fiet ſemper tanta frumenti copia, ut omni quidem tempore, ſua ſponte, nulla penitus meta conſtituta, pretium conueniens non egrediatur, & populus ex tanta illius caritate adèo exhauſtus, ut amplius uiuere non

poſſit,

poſſit, abundantis agri patrij, quemadmodum æquum eſt, ſemper ubertate fruatur: Tot, tantiſq; rebus tuis, iam ab ineunte adoleſcentia, in urbe Roma, alibiq; tam bene, tamq; fæliciter geſtis, in in quibus omnes tot tuorũ maiorum uirtutis imaginem, Heroum, Ducum, Antiſtitum, ſummorumq; Pontificum agnoſcentes, ipſam ſumma cum animi uoluptate contemplantur, & contemplando admirantur, & admirando uenerantur: Pluribuſq; alijs non minoribus rerum argumentis, quæ nimis longum eſſet hic commemorare, in ſedem omnium ſupremam dignitatis, atq; honoris, pro Chriſtianæ Reipub: utilitate, te aſcenſurum conijciamus: Cumq; artem medicam ad tuendam ualetudinem plurimùm facere, ſatis exploratum habeamus, morbos omnes, eorumq; cauſas, ut ab his cognitis cauendo prorſus incolumis, ac tutum Chriſtianæ religioni propugnaculum, in illud tempus fælicißimum conſerueris, carminibus, licet admodũ rudibus, quàm breuißimè fieri potuit, ſumus complexi: ut te carmine, bonoq; omine (quod Deus Opt. Max. fortunet) delectare, arte hac iuuare pro uiribus niteremur. Nec illud nobis abs re omnino factum fuiſſe uidetur: Cum uetuſtißimi quidem, et grauißimi autores, Quintus Serenus, Strabus Gallus, Aemilius Macer, Marcellus, Andromachus, Damocrates ipſam medendi artem, uario poematum genere, ea fortaſſe ratione nobis contextam reliquerint, quod Apollo carminis autor, diſciplinæ ſimul huius autor fuiſſe dicatur: & carmen memoria in hoc ſtudio tantùm neceſſaria facilius teneatur. Accipe igitur hilari fronte, lubẽtiq; animo, qualecunq; ſit munuſculum hocce noſtrum, tibi extempore oblatum, non donum uilißimum quidem, & te, tot, tantiſq; tuis nominibus penitus indignum, ſed offerentis animum metitus, maxima ~~quidem~~, ſi poſſet, munera offerre cupientem, & te ſumma ~~quidem~~ obſeruantia, uel potius pietate, quantùm homini licet hominem colere, colentem. Vale.

Bella, Duces alij grauiori carmine cantent
Sfortiadum, laudes, purpureasq́; togas.
Geſta perilluſtris generis ſuper æthera noti
Maxima, ab æterno conſpicienda die.
Ludere cum morbis ſymptomata, ludere cauſas
Eſt animus: corpus quo tueare tuum
Soſpes, & incolumis Tyrio ſpecteris in oſtro:
Donec aui capias ſceptra gerenda manu.
Lilia dum redeant, ſacrisq́; Cydonia poma
Pendula de ramis tuta Leone micent.
Albula ab aggeribus ſpargat tibi largiùs aurum:
Debita dum noluit priſca tributa mari.
Dum Vaticanus conflatum ex ære nepotem
Propter auum, ſacró iactet habere ſinu.
Altera Folſineis dum decernatur imago,
Ad latus alterius conſtituenda foro.
Sfortia dum titulus fulgente legatur in auro,
Alter Alexander Magnus, ubiq; potens.
Dumq́; inſigne Iouis uenerandum tempus in omne
Firmiter infigas, ſol ubicunq; uidet.
Nam canit Vranie, cum primùm inſpexit euntem,
Perlegitq́; notas, nomina, & alta uiri.
Sydereas permenſa uias, regale Leonis
Cor reperit primam ſydus habere plagam:
Ecce nepos ſimilis, qui iam moderatus habenas,
Aurea ſceptra gerens tam bene rexit, aui:

Semper

Semper ut inuideat Regum ueneranda uetuſtas:
Poſteritas tantó gaudeat uſq; duce.
Scilicet exemplar, quod Tertius ordine PAVLVS
Scribitur, ante oculos, ut ſpeculetur habet.
Hîc, uelut in ſpeculo ſplendere uidemus ad unguem,
Pontificem ſummum quicquid habere decet.
Ipſe gubernandi ſapiens monumenta reliquit,
Purpureis animo ſemper habenda uiris.
Ipſe modum digito, ac nutu bene ſceptra gerendi
Aeneus oſtendet ſemper in arce Iouis.
Dum reget imperium ſua ſubdita Roma Leoni:
Lanigerum, & Phœbi lampada uertet apex.
Sceptriger æternum iam continuatur in æuum
PAVLVS, *& incipiet nomen habere nepos.*
Martigenum hoc illuſtre genus tam legibus, armis
Fortiter armatum, tempus in omne reget.
Sic Dea præcinuit, mirata receßit in auras,
Ter, quater O clamans altiùs, ore tonans.
Adſis herbarum cultor, medicæq́ repertor
Artis Phœbe pater, nunc tua egemus ope.
Pande, precor, morbos, cauſas, ſymptomata pande:
Siccaq́ Pierijs lingua rigetur aquis.
Vt decus heroum tanto ſeruetur honori:
Cùm ſit nota lues, notaq́ cauſa luis.
Nec, precor, explodas, quòd uideris ante togatum
Sæpe tribunali reddere iura meo.
Ars tua Phœbe decet: uitam licet arte tueri:
Ius quoq; Phœbe decet: iure tuemur opes.
Iure datur ius cuiq; ſuum: tu fulgidus inter
Aſtra magis, media iure locare plaga:

Vt ſine

Vt ſine te obſcuris tot circum errantibus illis
Lumina diſtribuas, ſyderibusq́; tua.
Iusq́; ſalutiferum eſt animæ: iuſtam efficit ipſam:
Ius ſimul imperium ſemper, ubiq; reget.
Cur tamen excuſo? id defendere iure licebit:
More uetuſtatis Muſa prioris agit.
Cuncta catenato diſcebant ordine priſci:
Poſt modo ſegnitie ſecta catena fuit.
In plures ſophiam partitur inertia partes,
Tempore quæ magni Socratis una fuit.
Huc ades, ecce tuo cantat mea Muſa Leoni:
Vt decus eſt cæli, ſic decus orbis erit.
Hoc duce iam florent tecum ſacra turba ſororum:
Ante fouebat auus, nunc fouet ipſe nepos.
Teſtis es, Aonidum quàm fama increuerit orbe,
Aurea iam PAVLO *regna tenente ſacra.*
Quotq́; ſecent cygni, te circiter æthera pennis:
Omnia dum luſtras lampade uectus equis.
Talis ALEXANDRO *properat duce gloria: Stilbon*
Qua canit Euterpe, te ſecus arce nitet.
Tu quoq; qui tantis, & tot deſcendis Olympo
Muneribus plenus, numine nempe Deum:
Dona Cydonis habens, bene doctus iura, Sacerdos,
Fortis, ALEXANDER, *Flos, Leo, Sanctus ades:*
Pauca loquens, prompto ingenio, ſubito aure capaci,
Soluere tam promptus, firma ſoluta tenens:
Qualia habere decet, qui totum temperet orbem:
Qualia ſunt Superis, pectore clauſa geris:
Semper ut aſſociet diues te copia cornu:
Naiades hoc pomis, flore replêre tuis:

Vt ius cuiq; ſuum nullo diſcrimine reddas:
Iura quidem populis des ſimul æqua tuis:
Tum ſacra rite colas, tuearis fortiter ipſa:
Imperiumq; regas nomina regis habens:
Aurea quò terris rurſus iam floreat ætas:
Te, quaſi Vere nouo tota Minerua ſimul:
Vi ſuperans, ueluti Leo, nobilitate triumphes
Semper, & hæc ſanctè tempus in omne geras:
Aequiùs incidas lites quaſcunq; repentè
Felſina in urbe nitens, Emiliaq; uia:
Iam ſimul incidas, tacitè uoluentibus annis
Quicquid litis habet mundus in urbe ſacra:
Hinc rerum ad metam tua tam bene geſta, figuram
Pagina, fama, color, marmor, & æra ferant:
Corporis alta comes ſublimis in aſtra uolando
Migret, & æternò ſplendeat ante Deum:
Adſis, Oceanum mecum ingrediaris in amplum
Artis Apollineæ: quò lue tutus eas.
Huc ades, & uentis da mecum uela ſecundis:
Non, niſi te, ſoluet littore cymba duce.
Non, niſi Sfortiade Palinuro in puppe regente,
Audet in Oceanum mittere Muſa ratem.

NOſſe ſalus primò quid ſit, nos præmonet ordo:
Quòd naturalis prodeat ante ſtatus.
Hoc etenim noto, facile eſt cognoſcere, quicquid
Naturæ fines tranſmeet inde ſuæ.
Symmetria eſt quadrupli, hoc eſt, cõuenientia qualis
In qua uis ſimili parte reperta ſui.
Partis & organicæ numerus cum, & forma, ſituſq;,
Grandeq; conueniunt, nil uitiata ſimul.

 Vtraq;

Vtraq; pars etiam cùm continuatur in omni
Parte unita ſuī, nec reſoluta manet.
Cumùe miniſterio partis conceditur uti
Liberiùs ſimilis, diſsimilaris item.
Morbus at affectus naturam præter, & hærens
Firmiter, & primò lædere natus opus.
Vt tribus oſtenſum eſt totam conſtare ſalutem:
Sic tribus ijs pariter morbus & omnis erit.
Scilicet ametria eſt qualis, grandisq́, ſitusq́,
Tum numeri, formæ, continuiq́ ſimul.
Quod genuit quancunq; luem, proceſsit & ante
Eſt cauſa: haud aliter dicat Apollo pater.
Cauſa duplex, una externa, interna altera dicta eſt:
Sex, quibus afficimur continet illa modos.
Eſt cibus, ac potus, tum corpus inane, repletum,
Somnus, & eſſe uigil, motus, & ipſa quies.
Quodq́ animum turbare poteſt, aerq́ malignus:
His uenit, exteriùs quicquid obeſſe poteſt.
His quicunq; modum naturæ ſeruat ad unguem,
Soſpes, & incolumis tempus in omne ualet.
Hæcq́ duplex, ante accedens, coniuncta, rebellis
Humor ea eſt aptus gignere poſſe malum.
Hæc putris, qui iam genuit: coniuncta uocatur
Hinc, quoniam morbum continet uſq; ſuum.
Ponitur hic, poſita hac, ſublata tollitur idem:
Nam συνέχειν nobis continuiſſe ſonat.
Quod morbum, & cauſam, & naturam præter, inhæret
Eſt ſymptoma ſequens, corpus ut umbra, luem.
Iſpa quidem Graijs reſonat uox Graia periclum:
Dicitur Auſonijs iure ruina uiris.

His tribus exemplum ſit motus, febris, & inde
Sit phreneſis: nimiùm cauſa mouere fuit.
Febris erit morbus, phreneſis ſymptoma, ſecutū eſt
Hoc morbum: uenit nuntia cauſa priùs.
Hæc ita declarare priùs Muſa utile duxit:
Singula nunc iterum diſcutienda capit.
Vt ſunt diſsimiles, ſimilesq́. in corpore partes:
Sic etiam morbi, ſi afficiantur erunt.
Cartilago ſimilaris erit, membrana, ligamen,
Arteriæ, uenæ, neruus, & oſſa, caro:
Diſsimile eſt cerebrum, corq́, hepar, pulmo, lienq́,
Ren, oculus, uenter, tot numeraſſe ſatis.
Laxius, anguſtum ſimilares lædit, & omne
Quale: alias numerus, formaq́, grande, ſitus.
Soluere continuum partem corrumpit utranq;:
Sic primò morbus traditur eſſe triplex.
Vnus erit ſimilaris, diſsimilaris & alter,
Continuumq́ alius ſoluere morbus erit.
Sed magis anguſto, ac laxo mihi quale probatur:
Quale uelut, quadruplex hinc ſimilaris erit.
Humidus, aut calidus, ſiccus, uel frigidus ipſe
Semper erit, ſymplex, compoſitusùe ſimul.
Morbus erit ſymplex, cùm quale offenditur unum:
At duo Compoſitum qualia læſa ferunt.
Quilibet ipſe duplex, uel læſum in corpore quale
Eſt ſine materia, uel ſimul ipſa fluit.
Si ſine materia eſt, ægrè dignoſcere poſsis,
Ni fuerit magnus, quis tibi morbus erit.
Magnus erit febris, combuſtio ſole, uel igne,
Motu ex immodico maximus atq; calor.

Magnus & attonitus morbus, ſpaſmusq́, tremorq́,
Magnus et Herculeus frigore nempe fluens.
Magnaq́ mollities ex humiditate profecta,
Magnus & à ſicca tabe maraſmus erit.
Vt, niſi ſit magnum, ſymplex uix noſcitur ipſum:
Sic quoq; compoſitum non, niſi grande patet.
Imbecilla uocant uulgò tum membra, ſed intus
Cauſa latet, docto, non, niſi, nota uiro.
Materia inflammat phlegmone de ſanguine, ſerpit
Herpes bile, patet morbus uterq; tumens.
Non minùs apparent oedema ex phlegmate, cancer
Cum ſcyrrho ex atra bile furente nimis.
Germina nonnunquam ſimul immiſcentur eorum:
Nomen & impoſitum tum dominantis erit.
Hinc fit, ſcyrrhodes phlegmone quandoq; uocetur:
Germine ſi bilis tu dominere nigra.
Sic contra inuenies, alio quoq; nomine plures,
Quos nimis hîc longum connumerare foret.
Huc alij ueniunt, cum lepra elephantia, ſtrumæ,
Huc uitiligo uenit, pſora, phygethla, phyma.
Compoſitus, ſymplex etiam ijs ſe iungere poſſunt,
Organa qui pulſant, continuumùe ſecant.
Sat, mihi de morbo ſimilari plura roganti
Muſa refert: quoties præcipis, eſto breuis.
Qui modò diſſimiles uitient in corpore partes,
Accipe; ſunt numerus, formaq́, grande, ſitus.
Omnibus id commune ſcias, utero eſſe, uel extra
Poſſe luem: nata eſt ante, uel inde uenit.
Eſſe ſimul, quoties deflectunt organa ab illo
Quem natura ſolet gignere cuiq;, ſtatu.

Tum

Tum morbum eſſe ſcias, quo læditur actio primò:
Quod nequit primò lædere, cauſa fuit.
Forma pati in ſimis, tum caſu dicitur, ictu,
Læſus ab hac plancus, uatia, uarus erit.
Reſpiciunt etiam fracta, ac luxata figuram,
Altior articulis callus obortus item.
Cor, iecur, & cerebrum formam uitiata, lienq́,
Organa cuncta ſuam, munere læſa ſuo.
Dumq́; coaleſcunt, conſtipanturq́; meatus:
Dum quoq; compreſſi ſunt, nimiumùe patent.
Dum reſident, illos uarius ſimul obſtruit humor:
Contracti uaria dum ratione rigent.
Aſpera dum fiunt, quæ læuia, ut aſpera lingua:
Læuia dum fiunt aſpera, ut oſſa ſimul.
Afficit & numerus, cùm pars ſuperadditur una,
Vel deeſt: ut digitus, ſextus, & una manus.
Vngula luminibus, ſuffuſio, & inſita grando,
Calculus, aſcarides, pus, polypusq́, tumor.
Hîc callus, uitiligo nocent, ex parte reſecta
Membra, uel ex toto: pes, digiti, oſſa, manus.
Glandula, gurgulio exectus, cum dentibus ipſis:
Atq; alios ſimiles tu numerare potes.
Grande nocere patet, nimiùm ſi uideris auctum,
Vt caput eſt, oculi, linguaq́, mamma, tumor.
Sic quoq;, cùm fuerit minus, ac conuenerit eſto:
Membra docent eadem mole minuta ſua.
Tum ſitus afficit, poſitus uel partis ineptus:
Viſcus, & omentum, cùm in ſua ſcrota cadunt.
Hernia, uel ramex, rupturaùe dicitur ipſa:
Luxat & articulos, commouet atq; ſitus.

Hîc uinclum eſt penis, linguæ, articulum'q; ligamen,
Laxius, intentum, longius, atq; breue:
Tum fractum: impediunt fari, uel mandere, recto
Tramite tum ſemen longius ire uetant.
Hîc coaleſcunt digiti, labra, palpebra, ſedes
Vlcere, quo nequeunt munus obire ſuum.
Hæc de ſimplicibus: quà lege ligentur in unum
Nunc facili accipias carmine, more breui.
Organa compoſitum triplicem ſortita fuerunt:
His propriũ, haud propriũ cernis, utrunq; ſimul.
Eſt proprius quoties reſonant ob grande, ſitum'q;,
Tum numerum, formam, uel duo iuncta ſimul.
Vt, ſi inſint oculis unguis, ſuffuſio, roæhas,
Aſperitas linguæ, ſit'q; ibi grande ſimul.
Accidit haud proprius, quoties ſimilare duabus
Organa componens perſonat illa tubis.
Vt tunicæ adnatæ phlegmonem, ſimul ulcus in ipſa
Dic oculi haud propriam, compoſitam'q; luem.
Pulſat uterq; ſimul, cùm diſsimilare laborat,
Ac ſimilare: tamen diſsimilaris erit.
Talis erit, phlegmone inflammato crure, ſimul'q;
Hoc quoq; luxato, nomen utrunq; ſonat.
Scilicet haud proprium pars diſsimilaris habere
Dicitur, & proprium diſsimilaris item.
Iam iam nos finem morbis imponimus, audi:
Iam portum attinget paruula cymba ſuum.
Ecce alius morbus parti communis utriq;:
Soluere continuum iure uocamus eum.
Eſt, ſi continuum cui uideris eſſe ſolutum:
Vt foret ulceribus, uulneribusue caro.

Carne fit, oſſe ſimul, neruo: contuſio carnem,
Ruptio, tum uulnus lædere, & ulcus habent.
Si manet ex ictu cauitas, illiſio dicta eſt:
Vt, ſi contudit res uiolenta nimis.
Sin minùs, hæc fertur contuſio: in oſsibus ipſa
Mollibus, ut pueri, fit quoq;, rara tamen.
Quòd ſi compulſum nedum interiora petiuit
Os capitis, ualida re feriente foris:
Sed ruptura ſimul facie exteriore remanſit,
Compoſitum hunc ueteres non meminere ſophi.
Oſſe etiam capitis fiſſura, inciſio, rima eſt,
Ruptio, tum ſedes, quid ſecat, atq; ruit.
Oſſe alio fractura cadit, carieſq́, foramen,
Acris & humor edit, ſic carioſa facit.
Principio tamen hæc oſſa aſperitatē laborant:
Quarè aliud morbi tunc retulere genus.
Spaſmus obeſt neruis, conuulſio dicta latinè:
Neruorum fibris pernicioſa quoq;.
Orta repentinis, ualidis, haud motibus æquis,
Quàm calfacta priùs corpora fricta forent.
Morbus adhuc ſymplex, proprius, ſimilaris, at idem
Accidit organicis, haud propriuſq́ ſimul.
Compoſituſq́ duplex, aliis comitatus, & abſq;:
Abſq; aliis, ulcus, ruptio, ſpaſmus erunt.
Cum reliquis, ueluti ſociatum cum ulcere quale,
Quod cum materia eſt, materiaue ſine.
Organicis etiàm quoties ſuperadditur ulcus:
His facilè exemplis cætera noſſe potes.
Hæc mihi de morbis ex tempore Muſa recenſet:
Voluit Apollineæ dùm ſimul artis opus.

Eſt intemperies quadruplex, ut quale (reſumit
Nunc cauſas) frigens, humida, ſicca, calens.
Non ego ab æthereis ducam nunc orbibus illas:
Non geneſim notam quilibet æger habet.
Nos tamen hortamur, cum ſenſu ſydera iungi:
Syderibus ſenſus congruit, unde uenit.
Primus agit Deus in cæleſtia corpora primò:
Hæc elementa mouent, nos elementa mouent.
Quis nĕget, in geneſi ſene prædominante maligno,
Hinc intemperies frigida, ſicca fluat?
Humida cum calida Ioue? Marte, & Sole, uel uno
Sicca, calens? aliam Luna, Venusq́ rotent?
Et ſymplex, alĳs cùm pars æquabitur una,
Altera ad undarum fluctuet inſtar ibi?
Sed iam iam digito cauſas tangamus: inhæret
Senſibus hic, cuius Muſa reuoluit opus.
Motus, & anguſtum, putredo, alimenta, propinquũ,
Cauſæ intemperiem quinq; caloris habent.
Motus enim immodicus ſimilem incutit uſq; calorem:
Muſculus, articuliq́ incaluere priùs.
Ni calor ulteriùs penetret, ſoluatur & ante,
Quàm totum inuadat, non, niſi laſſus eris.
Quòd ſi fortè uagans omnes inuaſerit artus:
Non modò laſſus eris, ſed tibi febris erit.
Sic iræ feruor, nimiùm ſi corde tumeſcit,
Funditur & paſſim, non ſine febre tumet.
Tumq́ anguſta cutis, nequeat qua efflare uaporem
Spiritus intus alens, cauſa caloris erit.
Efficit anguſtam frigus: nam frigora denſant:
Balnea ſulphureæ membra lauantis aquæ.

Quòd ſi fuligo tunc inſit corpore, nedum
Fit calor immodicus: ſed quoq; febris erit.
Corpus & incaluit nimiùm putredinis ergo:
Hæc etenim ſemper plena calore fuit.
Hanc uapor exiguus cutis, excrementaq́; multa,
Humida cum calidis, tum medicina ferunt.
Quam priùs inuaſit partem putredo, repentè
Hæc prior incaluit, proxima deinde ſibi.
Afficit hæc aliam, illa aliam, dum ſentiat ipſa,
Inſitus incepit qua priùs eſſe calor.
Hac ſimul affecta, radice caloris, ubiq;
Protinus affecto corpore, febris erit.
Hic ſacer ignis erit, bubon, carbunculus, herpes,
Ac quicunq; calent, uſtio & ipſa ſimul.
Calfaciunt alimenta, merum, porra, allia, cæpæ:
Hinc quoq; febris erit, ſi ſit ubiq; calor.
Acria ſic etiam medicamina, ſparſa ueneno,
Fortia, multa, quidem ſemina febris erunt.
Gignere & immodicum uicinia iure calorem
Corporis alterius feruidioris habet.
Quales fornaces ſunt, balnea, longa ſub ipſo
Sole mora, aut phlegmone, flāma propinqua nimis.
His ſuprema cutis caleſit: quarè uſtio dicta eſt:
Si furit in toto corpore, febris erit.
Motus, ali, ſtipare, quies, uicinia, rarum:
Hæc intemperiem ſex peperere gelu.
Deſtitui his cauſis poterit ſic flamma calore,
Prorſus et extingui: ſingula, quæſo, uide.
Plurima ſi exiguæ fuerit nix addita prunæ,
Aut aqua, uel glacies, protinus illa perit.

Ignis & exiguus reſtinguitur, atq; lucerna
Sub Ioue per brumam, quà lauat Iſter aquis.
Lignorum nil, ſiue parum tabeſcere flammam
Efficit exiguam, congeriesq́; mori.
Siq́; olei infundas minimum, nimiumùe lucernæ,
Flamma ferè extingui, diminuiq́; ſolet.
Liberiùs ſi infundis aquam ſimul; aſpicis ipſam
Protinus imminui: non bibit ignis aquam.
Aera ſi includas circundantem undiq; flammam,
Diminui, extingui cernitur ipſa ſimul.
Sub cucurbitula licet id ſpectare, camino,
Obſtructum quoties omne foramen erit.
Ignis & accenſus fuerit ſi ſolis ad æſtum,
Circiter accenſus fortior alter erit:
Tum magis aſpicies tenuem tabeſcere flammam:
Diſsipat exterior, laxior illa fluit.
Si quoq; quis modicè tum flammam uentilet, auget:
Si immodicè, ſoluit, diſsipat ipſe ſimul.
Non ſecus à uento fit: maior diſcutit ipſam:
Tabida fit, ni quis uentilet, atq; perit.
Singula ad innatum referas exempla calorem:
Flamma, lucerna calor: cætera quicquid obeſt.
Otia, tum immodici motus extinguere poſſunt:
Auget utrunq; tamen, ſi mediocre fuit.
Conſtipata cutis prohibet ſpirare calorem:
Quæ ſtipare ualent dicta fuere prius.
Talis & hyberno fit tempore frigore clauſa:
Hinc quoq; tum uentres incaluere magis.
Arteriæ triplici

Hisq́ aliquis quoties obſtructus clauſerit ora:
Hinc ſuffocato, membra, calore rigent.
Hinc ſopor, attoniti morbi irrepſere, ueterni
Ad caput: & mortem ſæpe tulere gelu.
Cum fuerit uehemens iam conſtipatio, fatum
Tale tulit: ſomno membra ſepulta cadunt.
Si mediocris erit, pauca excrementa, calorem
Tantùm febris habent: membra ſopore carent.
Si ſit parua, moue, ne ſis plethoricus, artus:
Corpus & exerce: ſit medicina labor.
Vincula corrumpunt nimiùm ſtrigentia partem:
Frigida, ſeiuncto, facta, calore, riget.
Raraq́ facta fores aperit nimis ipſa calori:
Hinc nimis efflatur: frigida membra manent.
Aere talis, aqua calidis, medicamine fiet
Talis & admoto, ſole, uel igne manens.
Talis in æſtiuo fit tempore aperta calore:
Hinc quoq; tum uentres incaluere minùs.
Gignere & immodicum nobis uicinia frigus
Gorporis alterius frigidioris habet.
Nix, glacies, Aquilo, gelidasq́ natare per undas:
Hæc iter & factum frigore ſæpe necant.
Frigus habent, quæ alimenta calent, ut uina uetuſta:
Contigit hinc multis ebrietate mori.
Digerere hæc etenim minimè calor inſitus aptus
Friguit extinctus: frigida fata tulit.
Scilicet aut ſenſum, aut motum amiſere bibentes:
Hauſta caduca lues, attonitiue fuit.
Vina tamen modicè hauſta iuuant, augentq́ calorem
Cuilibet innatum: ſed quoq; uina necant.

Paucus, & immodicus, ſat alens cibus, optimus obſit
Frigidus, ac potus, nullus uterq; ſimul.
Talis hyoſciamus, talisq́ cicuta, papauer,
Tales mandragoræ, cùm medicamen erunt.
Somnifera hæc nimium lethæo infuſa liquore,
Frigore præ nimio frigida fata ferunt.
Et gelidam peperit labem male ſana uorago;
Hac calor opprimitur: digerit inde minùs.
At nutrire minus, maiorem efflare uaporem,
Eſſe habitu ſicco, curaq́ magna, uigil.
Aer ſiccus, aquaq́ natatia, ſulphur, alumen,
Quamq́ bitumen habent, nitrum, aliudue genus.
Plurimus & motus, uacuo quoq; corpore factus,
Aere tum ſicco, ſicca alimenta ſimul.
Quod medicamen erit ſiccanti ui intus, & extra,
Hæc intemperiem ſiccam habuere ſuam.
Quæ ſupereſt, alimenta ferunt, cùm copia ſumpta eſt
Humida, tum lautè uiuere nempe nimis.
Securusq́ animus, ſine curis, mensq́ quieta,
Balnea dulcis aquæ, uita labore uacans.
Motus & exiguus, tum ſomnus plurimus inflat:
Et nimis humectans quod medicamen erit.
Corporis omnis item ſtatus humidus, imber & ingens,
Plures triginta iam numerare licet.
Symplicibus ſymplex cauſis enaſcitur omnis

Diſcordes etiam uideas ſimul eſſe ligatas:
Qui calet, hic friget, frigida & ipſa calent.
Iam tu contendis, fieri id natura recuſat.
Ecce tibi exemplum, quo fatearis idem.
Phlegmate, bile uigent lipyria, epiala, frigent,
Atq; calent: locus hæc non tamen unus habet.
Corporis haud eadem friget pars, atq; caleſcit:
Friget idem corpus: ſed tamen, atq; calet.
His diſcrimen ineſt: intus lipyria longè
Plus calet, & friget tum foris ipſa magis.
Materiæ affluxu tum alia eſt, de parte ualenti
Miſſa imbecilli non procul, unde uenit.
Hanc nimis audacem cerebrum detrudit ad aures,
Vel prope: forte magis trudere iure poteſt.
Hanc etiam cor ſede ſua depellit ad alas:
A iecore unguinibus pellitur ipſe tumor.
Hæc natura ſagax dotauit uiribus amplis
Regia membra: forent pellere ut apta malum.
Pars uicina potens aliò detrudit, & inde
Fortis adhuc aliò, debiliorq; tenet.
Hinc eſt, quòd uariare locum morbum aſpicis ipſum
Sæpe quidem, pulſum parte ualente magis.
Nec mirum, natura trahit, retinetq; ualenter,
Alterat, expellit denique quicquid obeſt.
Integer huc poſt tractus alens corrumpitur humor:
Hinc tumor augetur, fluxio & ipſa ſimul.
Iam ſat de cauſis morbi ſimilaris habemus:
Organici cauſas nunc mihi Muſa refer.
Iam refero, & memini, quòd quatuor organa pulſant,
Scilicet hi, numerus, formaq; grande, ſitus.

Hîc mihi forma ſuas formet prius ordine cauſas:
Iure prius: ſi quidem forma dat eſſe rei.
Quod diſperſa legit, tum ſemina ueſtit amictu,
Quatuor offenſum traditur eſſe modis.
Officit aſperitas, læue, euariansq; figura:
Ipſe meatus obeſt, cùm uitiatus erit.
Iure figura loco prior eſt referenda priori:
Læditur hæc utero, læditur inde foris.
Lædere ſemen habet minus ipſam, maius & æquo:
Quodq; magis tenue eſt, craſſius, atq; decet.
Fœtus adhuc utero male conformatur in ipſo:
Quando quid, ut decuit, ſperma mouere uetat.
Protinus egrediens uitiatur forma tenella.
Excipit obſtetrix dum male cauta manu.
Dum ligat, inuoluit, dum lactat, faſcia, nutrix,
Dum nimium ſaturat, tractat inepta, lauat.
Dum medium uentrem nimis arctat alumna puellæ:
Aptus ut inferior ſit reparare genus.
Dum puer immodicos fert motus, tempus & extra:
Scilicet inuertunt mollia crura, pedes.
Et medicus formam ſtringens uariauit, & æger
Transgrediens iuſſum, diſsimilare ſuum.
Fractaq; naris uti, pars circunfractaq; ſicut
Vltima concauitas, os ubi coxa rotat.

At ſi inflammatus, diſtentus corpore neruus,
Diſſectus, durus ſit, reſolutus item:
Chordaue ſecta ſit, hos aſtringat dura cicatrix,
Haud propriè inuertit tenſio ſola locum.
Iam ter habes octo cauſas uariare figuram:
Nunc cauitas offert ſe referenda mihi.
Hæc tibi trunca caput uenit, illud Muſa cauernis
Continet. & uereor, ſit caritura diu.
Mille tenent Muſam cauitates, mille meatus:
Me miſerum, uereor, nè moriatur ibi.
Præcipuè, ſi anguſta nimis ſint ora tumore,
Germineq; adnatis interiore loco.
Ac nimiùm lentus, craſſus ſimul obſtruat humor:
Parsq; coaleſcat, quæ priùs ulcus erat.
Comprimat, exteriùs quicquid premit intùs et illam:
Sic uitiata uetet forma redire foràs.
Subſideat corpus nimis aſtringente coactum:
Frigore denſatum, quod ſatìs urbe uiget.
Arida propter, idem marceſcens: cuncta meatus
Arctant ora nimis: uæh tibi Muſa, peris.
Væh tibi, ſi retinere potens moueatur & intus
Vis nimis: hæc etiam clauderet ora tibi.
Sit retinere, precor, ſat debile, pellere forte,
Atq; aperire ualens exhibeatur aqua.
Sit medicina calens, mollisq; meatus, & aer
Humidus, & calidus: uos aperite, rogo.
Dum redeat mea Muſa domum, uitiate figuram
Laxando ora ſimul: ne moriatur ibi.
Dum iocor, ecce modos, cauitas quibus, atq; meatus
Læditur, & ſunt ſex: tu numerare potes.

Accipe,

Accipe, dum redeat, do læuia, & aſpera paucis:
Accipe utrunq; : tamen læuia ſemper ama.
Læue riget, ueluti ſi fiat puluere, fumo
Aſpera, quæ dudum cornea mollis erat.
Adnumerare potes cum lingua labra, palatum
Læuia, quæ febris ſæpe calore rigent.
Sunt etiam læues oculi, arteria aſpera, fauces:
Humor cauſa, uapor, tum medicamen erunt.
Acribus his, ualidis nedum ſunt aſpera: uerùm
Erodit caries os, caroq; ulcus habet.
Viſcera, uentriculum cum gula læuibus adde:
Aſperat hæc eadem cauſa relata priùs.
Acria præterea excrementa in corpore nata,
Tum cibus, ac potus, dira uenena ſimul.
Aſpera molliri contra teſtantur & oſſa:
Sæpius hæc mollit, quod medicamen habent.
Sæpius hæc pinguis, lentusq; emollit humor:
Aſpera naturà, læuia nempe lue.
Aſpera iure decent: nam muſculus oſsibus hæret:
Læuia cùm fuerint, muſculus inde cadit.
Iam numerum numeremus ait mea Muſa: cauernis
Exijt: ora meas fert reſeraſſe preces.
Grande, ſitum, numerum breuiori carmine ludet:
Pauca quidem facient hæc manifeſta ſatis.

Vtile, ni fortis ſit, uis formare nequiret:
Trudere nec poſſet quæ uitioſa forent.
Vtilis en ſextum, naturæ exempla ſecuta
Adnumerat digitis quinq; aliudue parit.
Altera naturam præter, ſteatomata trudit,
Ganglia, conſimiles calculus, unguis erunt.
Talis erit caro, quæ ſuper ulcere ſæpius aucta eſt:
Quære alios numero diximus ante ſatis.
Diminuunt aliæ cauſæ paulò ante relatæ:
Diminuam exemplo plurima membra breui.
Putrida tolluntur, putredo lumen ademit:
Cætera membra, manus, brachia, crura, pedes.
Vſtio tentat idem, tum ſectio, frigus & ipſum
Sæpe pedes digitis diminuiſſe patet.
Dicito grande pati, cùm pars eſt grandior æquo:
Hoc etiam, ſi ſit, quàm decet ipſa minor.
Copia materiæ, uirtusue potentior auget
Vtilis: oppoſitum diminuiſſe liquet.
Tum minui cauſis, augeri cernitur iiſdem:
Vnde fuit numerus: pende, uidebis idem.
Iam quæ ſitum uario, audi, hic morbus fertur ineſſe:
Membra ſuum quoties non habuere locum.
Vt puta, ſi altus erit magis unus, quàm alter ocellus:
Vel ſimile ingenitum uentre parentis habes.
Tum quoq; membra ſitus patiuntur ſingula morbum:
De proprio quoties pulſa fuere loco.
Cauſa duplex, foris una ſitum, altera dimouet intus:
Motus ibi, ac ſaltus, luctaq;, caſus erunt.
Eſt etiam pugil, compreſſio, uulnus, & ictus,
Ac quicunq; ſitum uertere motus habet.

Intus erunt, quæcunq; ualent producere cauſæ
Illud idem: articulis plurimus humor erit.
Hic ſenſim humectat nimium, laxatq́; ligamen,
Lubricus articulus, labilis inde fuit.
Idq́; ſupercilio coxarum eſt cernere fracto:
Quo caput è propria ſede ruiſſe uides.
Tum cotyla, articulum ſinus, ante ſupina nocebit:
Et quæ promineat, ſitq́; profunda parum.
Eſt, quæ circiter exta tegit membrana, meatus
Eſt, hinc ad teſtes tendere ſuetus iter.
Hic ſi laxetur, uel diſrumpatur, eodèm
Labitur omentum, uiſcera ſæpe ſimul.
Non ſecus eueniet, ſi ſit membrana reſecta,
Sede ſua exta cadunt: tum cadit illa ſimul.
Hàc quoq; ſcrota petunt ea, flatus, lentus & humor:
Ramicis & pondus ſic genuere graue.
Fibraq́; pulmonis per uulnera pectoris exit:
Vuea laxetur cornea roſa facit.
Si contorta foret per caſum in uiſcere fibra:
Tum quoq; cum poſitu læſa figura foret.
Deniq; conſenſus uicinæ partis aberrat:
Laxa ſibi quoties, ruptaue uincla forent.
Cùmq́; coaleſcunt partes ſe ſe inter ineptè:
Singula non opus eſt connumerare, patent.

Cauſa duplex, una illidit, uel uulnerat extra:
Altera motus erit corporis, humor erit.
Reſpicit illa quidem quicquid corrodit, ut ignis,
Cauſtica, & acre ſimul, quod medicamen erit.
Tum tendit, rumpit, frangit, contundit, ab alto ut
Caſus, quodq́ graue eſt, durum, aliudue ruens.
Quicquid & incidit, ueluti eſt res omnis acuta,
Aptaq́ continuum ſoluere, membra ſecans.
Reſpicit hæc motum totius corporis omnem,
Qui non compoſitus, nec moderatus erit.
Reſpicit & prauos humores corpus edentes:
Omniaq́ humorum uaſa repleta nimis.
Symplicis organici ſcio, continuiq́ ſoluti
Cauſas, compoſiti nunc utriusq; doce.
Compoſiti cauſas facile eſt reperire, patebunt,
Si coeant una, quæ genuere duos.
Exemplum eſt mea Muſa, ſitu, numeroq́ laborat:
Non ſtat ſede ſua, parte decente caret.
Et ſibi grande genus deeſt, quale poema requirit,
Ac nimium tenui ſemine forma ruit.
Bis quoq; continuum diſſoluitur: ecce, recidi
Cernitur, & tineas iam, cariemq́ pati.
Sed tamen audet adhuc ſymptomata dira ſubire:
Heu, moribunda ſubit: ſed tamen audet adhuc.

Errata Typi.

Pro titalus, titulus Fol. 4. pro afficmur, afficimur fol. 6. pro hic coaleſcunt, hicq; coaleſcunt fol. 8. pro uis uimis, uis nimis fol. 12. eſt legendum.